

*PA.* falsus es. *CH.* non[ne] tibi sat esse hoc solidum  
visumst gaudium,  
nisi me lactasses amantem et falsa spe produceres ?  
25 *habeas.* *PA.* habeam? ah nescis quantis in malis vorser  
miser

quantasque hic sūis consiliis mihi conflavit sollicitudines 650  
meu' carnufex. *CH.* quid ichtuc tam mirumst de te si  
exemplum capit?

*PA.* haud istuc dicas, si cognoris vel me vel amorem meum.  
*CH.* sciō: cum patre altercasti dudum et is nunc propterea  
tibi

30 suscenset nec te quivit hodie cogere illam ut duceres.

*PA.* immo etiam, quo tu minu' scis aerumnas meas, 655  
haec nuptiae non adparabantur mihi  
nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.

*CH.* sciō: tu coactu' tua voluntate es. *PA.* mane:  
35 nondum scis. *CH.* scio equidem illam ducturum esse te.

*PA.* quor me enicas? hoc audi: numquam destitit 660  
instare ut dicerem me ducturum patri;  
suadere orare usque adeo donec perpulit.

*CH.* quis homo istuc? *PA.* Davo'. . . *CH.* Davos? *PA.*  
interturbat. *CH.* quam ob rem? *PA.* nescio;  
40 nisi mihi deos sati' scio fuisse iratos qui auscultaverim.

*CH.* factum hoc est, Dave? *DA.* factūm. *CH.* hem 665  
quid ais? scelus!

at tibi di dignum factis exitium duint!  
eho dic mi, si omnes hunc coniectum in nuptias